

CLINIA CLITIPHO

ii

- 230 *CLIN.* Si mihi secundae res de amore meo essent, iamdu-
dum scio
venissent ; sed vereor ne mulier me absente hic corrupta sit.
concurrunt multae opiniones quae mihi animum exaugeant :
occasio locus aetas mater quoi(u)s sub imperio est mala,
quoi nil iam praeter pretium dulcest. *CLIT.* Clinia. *CLIN.* 5
ei misero mihi !
- 235 *CLIT.* etiam caves ne videat forte hic te a patre aliquis
exiens ?
CLIN. faciam ; sed nescioquid profecto mi animu' prae-
sagit mali.
CLIT. pergin istuc priu' diiudicare quam scis quid veri siet ?
CLIN. si nil mali esset iam hic adessent. *CLIT.* iam ade-
runt. *CLIN.* quando istuc erit ?
CLIT. non cogitas hinc longule esse ? et nosti mores mu- 10
lierum :
- 240 dum moliuntur, dum conantur, annus est. *CLIN.* o
Clitipho,
timeo. *CLIT.* respira : eccum Dromonem cum Syro una :
adsunt tibi.

SYRVS DROMO CLINIA CLITIPHO iii

- SY.* Ain tu ? *DR.* sic est. *SY.* verum interea, dum ser-
mones caedimus,
illae sunt relictae. *CLIT.* mulier tibi adest. audin, Clinia ?
CLIN. ego vero audio nunc demum et video et valeo,
Clitipho.